

www.e-rara.ch

Joh. Ludovici Fabricicii Opera omnia

Fabricius, Johann Ludwig

Tiguri, a. 1698

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13320>

Apologia Medit. de controversia circa personam Christi.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

JAC. DANIELIS HUMBERTI
AD
JOH. JACOBUM REKIUM,
Amicum, & studiorum suorum comitem,
EPISTOLA
DE

*Libello, quem super Controversia circa personam Christi Anonymus
nuper Cl. FABRITIO opposuit.*

M Iraris, *Amicorum Suavissime*, quæ fiat, quod, cum nuper libellus prodierit *de Controversia circa Personam Christi Cl. Fabritio oppositus*, nihil ab eo hæctenus fuerit responsum. Scribis, nonnullos ex diuturno isthoc silentio colligere, respondendo ipsum parem non esse, causamque aded deferere, indè magnos passim triumphos agi, non sine nostro dedecore, nostrorumque Hominum indignatione. Ipsi igitur tuas literas, cum hesternâ vesperâ in hortis Collegio nostro adjectis pro more obambulet, ostendi, & ne famam suam causamque ipsam, negligeret, rogavi.

II. Quibus ille subridens; Placet, inquit, mi *Humberte*, isthæc quidem sollicitudo, ex qua & insigne veritatis defendendæ studium & singularem vestrum adversus me amorem perspicio, sed quâ tamen animos vestros exsolvi velim. Nec enim vel nominis famam, vel causæ justitiam à Multitudinis judicio petendam existimo, neque vel Sapientem vel Beatum dixerim, quisquis popularem auram captat. Sufficiat paucis placuisse, sed iis & eruditione & pietate insignibus Viris. Ex quo Meditatio ista mea publicitus exposita fuit, nomine meo in finem suppresso, ut ad veritatis solum evidentiam, non ad Scriptoris professionem respiceret Lector, inventus est nemo, neque ex *Lutheri*, neque ex *Calvini* Fautoribus, qui eam scripto improbârit, quamvis istam ipsam materiem & *Wittembergici*, & *Argentineses*, & *Gieseni*, & Alii passim tractaverint. Imò Theologus summi judicii lectissimæque eruditionis *Wolterus Molanus*, approbante Celeberrimo *Hennichio*, abhinc biennium Disp. de comm. Jdiom. Theol. 20. & 40. & 46. Rintel. 1665. disertè scripsit; *Meditationem illam, à quocunque Auctore profecta sit, talem esse, ut enunciare vix possit quantopere sibi probetur, seque considerare eam plerisque probatum iri, qui rem ἀνὸς πρῶτον ponderare potius, quam suspitionibus nec quicquam indulgere præoptent.* Nunc tandem nescio quis Anonymus, imbelli admodum manu, pauca tela eaque non semel fracta

ex latebris in me contorquet, quæ me neque lædunt neque tangunt. Quid igitur ad ista memoveam, aut quid de illis avertendis sim sollicitus?

III. Credisne (ita Ille ad me pergebat) sive famæ, meæ sive ipsius causæ quippiam interesse, ut cum obviis quibusvis & ex obscuro pugnantibus Mirmillonibus decertem; vel an existimas, tantum mihi otii restare ab utilioribus occupationibus, ut in supervacanea atque inutili repetitione eorum, quæ evidentissimè à me demonstrata sunt, id velim infumere; aut mihi tam obfirmatum fortemque esse stomachum, ut sine extrema nausea reponere possim, quæ jam sexcenties fuerunt recocta, vel, an putas me tam facile ab ingenio meo & vitæ consuetudine desciscere, ut voluptatem ex altercationibus & rixis quaram? Sit sanè aliis libido mutuis se vulneribus conscindere; parent illi gloriam ex belli artibus, mihi pacem colendam sumsi, quam Christus meus commendavit, mihi volupe erit quæta cum industria commissam curæ meæ juventutem in veræ Religionis cultu erudire. Neque enim cœlestis sapientia nobis eum in finem est patefacta, ut ingenio nostro acuendo, aut litibus serendis inserviat, sed ut intellectûs potiùs nostri intemperiem corrigat, ratiocinationum reprimat luxuriam, animosque ad simplicem virtutem & modestam Numinis reverentiam paret.

IV. Jam verò quisquis ille sit, qui me sibi oppugnandum delegit, vel ex ipsa libelli fronte videri posset, non veritatis investigationem, non mutuam in pietatis mysterio ædificationem, sed contentiones tantùm & rixas quarere. Quæstiones non *proponit*, sed *opponit*, eoque se non tam placidum Disquisitorem, quàm iratum infestumque Adversarium profitetur. Neque quæstiones *opponit*, ad quas ego *respondeam*: ipse enim ex se ipso quærit, & pro se ipso sententiam dicit, neque exspectat, quid ipse fuerim responsurus, neque attendit ad ea, quæ jam antè responderam, quæque adeò ipsum vel non intellexisse, vel neglexisse oportet, quorum illud ab ignorantia, hoc ab animi quadam malignitate vel nimia saltem oscitantia & Veritatis atque Concordiæ incuria profectum esse videtur. Quòd si quis ipsum urfisset scrupulus, poterat privatim & familiariter rogare, quâ ratione is esset eximendus. Tum si ipsius interrogata & responsa mea credita fuissent aliquam Ecclesiæ utilitatem afferre posse, curassemus ea etiam cum Aliis & publicè quidem communicari. Verùm isthâc, quam ille insistit, viâ non alio videtur contendere, quam ut in scenam me protrahat, ut mutuâ scilicet dilaniatione publicum edamus spectaculum. Ego verò ad gladiatoriam exercendam non ita me facilem profiteor, semperque existima- vi, stratioticos istos mores à Theologica gravitate & mansuetudine abhorre- re. Non improbo illa scholasticæ juventutis exercitamenta, quibus ad militiam contra Hæreticos tyrones præparantur, neque istos legitimos consiliatus, qui cum Adversariis ad veritatis defensionem instituuntur; sed ut adoranda sacro- sanctæ Fidei mysteria pilæ instar jactentur, & ingenii viribus sive exercendis

sive ostentandis inserviant, id ego & ab omni pietate, & ab ea, quæ divinis oculis debetur reverentia, & ab ipsa recta ratione, & ab omni sive veræ sive falsæ Religionis scopo omnino alienum puto.

V. Adde quod præfens velitatio instituenda mihi foret cum Larva. Nec enim quis hominum ille sit, qui me aggreditur, hæctenus rescivi. Temerarium autem foret congregi cum Eo, quem non cognoveris, nisi extrema te urgeat necessitas. Quid si vir fuerit jam gravis senio? at hic ex Pauli præscripto monendus esset ut Pater. Fortè juvenis? hunc corrigerem ut Fratrem. Procax fortè est & φιλαίῳ & ἀλαζών. Huic animosè & fortiter resisterem. Quid si docilis sit, sed fide infirmus? at hic recipiendus esset μή εἰς ἀχρηστοῦς ἀγλοισμῶν. Fortè sapientiæ studiosus? Hunc erudirem. Fortè stolidus & ineptus? Hujus stultitia, prout res tulerit, ex sapientissimi Regis præscripto, vel silentio contemnenda, vel justâ disputatione coercenda esset. Ita vides, proclive admodum esse, ut vel in Charitatis, vel in Prudentiæ Christianæ legem impingam, si cum Homine congregiar, quem non noverim.

VI. Præsertim cum ne de hoc quidem constet, quamnam ille Christianæ Religionis sectam sequatur. Est qui existimat, non Lutheri esse discipulum, sed Socini, istiusque suspicionis argumenta affert perquam probabilia. Certè facile est ostendere, ipsum à Chemnitio, Gerhardo Aliisque hujus classis Theologis penitus dissidere, Socinianorum verò tum & Veterum Arrianorum assumpsisse hypotheses: ut credibile sit aliquem de grege isto, sub Fratris Lutherani nomine, Hominibus in Fide simplicibus obrepere, & venenum suum salutari doctrinæ immixtum incautis propinare voluisse. Neque ferè aliud est, quod suspicionem istam ab Anonymo hoc Nostro removeat, nisi quòd, præter Socinianorum consuetudinem, Multis videtur nimis Scholasticè & barbarè, ac parum subtiliter scripsisse. Quæ omnia ubi ritè expendis, mi Humberte, facile videbis nihil causæ esse, cur in arenam istam adeò præceps descendam.

VII. Hæcille. Quæ cum agnoscerem esse verissima, rogavi ut nostrâ saltem gratiâ aliquid ad oppositas ab Anonymo quæstiones differeret, quò luculentius intelligeremus, quid ad istiusmodi Hominum cavillationes sit respondendum, & quâ viâ detegi possint Ipsorum insidiæ. Annuit petito, & secedamus, ait, in Musæum, ubi & meam Dissertationem, & Adversarii quæstiones, & quos uterque laudat scriptores, inspiciamus.

VIII. Cum igitur inter libros confedissemus, saltem, inquit, jam de eo gratulamur Ecclesiæ, quòd sententia, quam de integro inter Nos & Lutheranos circa Christi Personam consensu protulimus, non adeò hodie sit ἀγροῦς, neque tam videatur absurda, quàm Multis visâ est olim, & quòd Anonymus adversus totam meam Dissertationem nonnisi quatuor quæstiunculas movere potuerit, cæteris silentio suo approbatis, neque de ipsa *Unione hypostatica* quippiam habeat, unde litem nobis ulteriorem intentet.

IX. De *Idiomatum communicatione* solum quærit, & quidem PRIMO, AN ZVINGLIANA *ἀλλοίωσις* NESTORIANISMUM INDUCAT? Id quod ego negvi, neque solum negavi, sed &, cur negem, dilucidè ostendi. Ille affirmat. Verùm, ne aërem verberemus, gladiosque ventilemus in tenebris, necesse fuerit in lucem exponere communem Lutheranorum Nostrumque sententiam; quo factò, quid ad quæstionem sit respondendum, per se patebit. Assumamus igitur istud ipsum exemplum, quod Anonymus & suppeditat & urget de Personæ Christi passione.

X. Principiò utrinque est in confesso; *Deitatem non esse passam*. Certè *Gerhardus* tantopere ab adversa doctrina abhorret, ut *Exeg. L. C. de Persona Christi, S. 198.* eam nolit admittere, quantum vis adjecti certis voculis emollita, limitata & explicata fuerit. Legamus *Gerhardi* verba: *Sunt, qui dicunt prædicationes istas, Deitas est passa, Divinitas est mortua, usurpari posse, ita tamen, ut addatur Deitas passa est carne, vel in carne & secundùm carnem. Sed præstat ab hisce Propositionibus abstinere &c.* Ubifex rationibus disputat, istiusmodi, locutiones adhibendas non esse, tum sequenti themate strenuissimè refutat eos, qui phrasin istam excusant. Sit autem nobis *Gerhardus*, Vir certè diffusissimæ eruditionis, & magni suo merito nominis, in hac tota Disputatione, reliquorum Theologorum instar. Ex ipsius verò doctrina consequitur, *Personam quidem passam esse, sed minimè in Deitate, neque secundùm Deitatem.* Quod ipsum fuis inculcat. At huic necessariò connexum est, ut statuatur, *totam quidem Personam passam esse, minimè tamen secundùm sui totum sive secundùm utramque Naturam.* Unde *Gerhardus* ibidem disertè rejicit eos, qui dicunt, *Christum quoad utramque Naturam esse passum, licet non in divina Natura, vel secundùm Eam, & phrasin approbat Theodoretii scilicet, in quantum Deus est, passioni obnoxium non fuisse.*

XI. Jam igitur est edicendum, *secundùm quam Naturam* Persona Christi passa sit, & respondemus cum *Gerhardo*, *secundùm Naturam humanam.* Istæ autem Propositio, *Persona passa est, secundùm humanam Naturam*, in duas particulas debet resolvi, quarum prior comprehensa his verbis, *Persona est passa*, continet attributum complexum cum suo subjecto adæquato & totali, quod in Scholis *suppositum & subjectum* vocant & *subjectum* QUOD. Altera Propositionis particula distinctè exprimit Naturam illam, in qua, & secundùm quam passio Personæ competit, adeòque indicat *subjectum*, quod in Scholis vocatur Quo. Distinctam hanc expressionem & Veteres & Recentiores Ecclesiæ Patres *ἀλλοίωσις* vocant, eamque & vocem & rem *Gerhardus* accuratè explicat, neque nos quicquam aliud docemus.

XII. Conatur tamen Anonymus nobis invitis persuadere, Nos longè alia sentire. Discrimen inter *Damasceni & Zvinglii ἀλλοίωσις*, quantumvis caput scalpserit & unguis roserit, nescivit excogitare, & tamen negat eandem esse.

esse. At quo colore? Vide & mirare hominis acumen. Nimirum, inquit, Zvingliani dicunt, *Personam Christi per synecdochen passam esse*. Ut intelligas quid monstri hoc sit, PER SYNECDOCHEN PATI, fac quæso attendas animum, & stomachum obfirmes.

XIII. Cùm ex Orthodoxa *Gerhardi* sententia, Christi Persona tota duabus quidem Naturis constet, non verò secundum utramque Naturam sit passa, adeoque pallio quidem rectè de tota Persona enuncietur, non tamen secundum utramque Personæ Naturam; existimarunt Theologi, se nullum patraturos esse piaculum, si Rhetoricum vocabulum adhibeant, & in effato illo statuant synecdochen, eò quòd attributum de subiecto quidem dicatur, sed non secundum omnes subiecti partes. Neque nostri primi tam animosi fuerunt, qui ausi fuerint Rhetoricas præceptiones hîc applicare. Didicerunt istud à *Cassiano*, qui synecdochen hîc esse, impunè dixit, & facinoris sui socium *Lutherum* ipsum habent, qui in *Confess. de Cœna Christi*, anno superioris seculi trigesimo quarto *Witebergæ* Germanicè excusa eundem huic argumento Tropum applicuit. Quid igitur criminis hîc nobis objicitur? Ecquænam obsecro ista est vitilitigatio? Explicant Theologi nostri doctrinam suam eodem modo, & iisdem verbis, & eodem verborum significatu, quo Lutherani. Hoc solo nomine Hæretici sunt, quòd dicunt orationi inesse synecdochen. In quo ipso si maximè errarent, nunquam tamen ego existimâssem, dissensum in Rhetoricis inducere hæresin, neque credidisssem salutem nostram, ab *Hermogenis* aut *Quintiliani* Institutionibus, earumque accurata intelligentia & recta applicatione suspensam esse. Potest sanè, meo quidem iudicio, in Rhetoricis præceptionibus errari, salvâ rerum ipsarum veritate, & licèt quis dissentiat à *Quintiliano*, consentire tamen potest cum *Paulo*. Insanum dixeris, qui hæc confundit.

XIV. *De Tropo querere non est Theologi, quatenus Theologus est, sed quatenus Rhetor. Et quæstiones Rhetoricæ licèt ad mysterii explicationem fortè faciant, non sunt tamen de re ipsa in qua mysterium consistit, sed de locutione tantum, quâ Dominus in mysterio explicando est usus.* uti rectè notavit ille, quem *Anonymus* mecum committere studet, Theologus celeberrimi nominis *Piscator Præf. Trium Quæst. Rhet. de Verbis Cœnæ*. Et certè idem ille Theologus alibi *Respons. ad Elench. Buscheri* & *Admon. de exerc. Buscheri* pertendit, huic Propositioni; *Homo loquitur*, & quam cum Propositionibus de Persona Christi quodammodo comparare solet, inesse synecdochen integri, eò quòd non totus homo loquatur, sed os solum hominis, cùm tamen alii Rhetores & nostrarum partium Theologi talem Tropum in enunciato illo hætenus pervidere non potuerint. Quid igitur? scilicet in Rhetorico Problemate dissentiant. Quis verò ita ineptus sit, ut indè concludat, *Piscatorem* verbis istis, *Homo loquitur*, aliud quid intellexisse, quàm quòd intelligunt ii, qui nullum ibi Tropum agnoscunt? Et certè hujus observationis singulare exemplum nuper præbuit acutissimus *Clau-*
ber-

bergius, qui *Disputatione quartâ de Manducatione orali* ingeniosissimè demonstrat, verba sacrae coenae, *Hoc est corpus meum*, propriissimè esse intelligenda, nullumque in iis Tropum debere constitui, cum tamen Theologi Reformati omnes summo consensu hactenus statuerint, & acerrimè defenderint verborum illorum aliquid figuratum esse. Nec tamen *Claubergius* à communi Reformatorum sententia, quoad ipsam rem & Sacramenti explicationem, vel minimum recedit. Adeò verum est, dissentire posse Theologos in assignatione Tropi, licèt re ipsâ omnimodè consentiant!

XV. Facigitur Doctores nostros errasse, quòd huic Propositioni, *Christus est passus*, ascripserint *synecdochen*. Quid indè? mò, instat Anonymus, *si synecdochicè passa est Persona Christi, utique non passa est propriè; adeoque propriè non est passionis subiectum* QUOD. Tædet sanè puerilium istarum nugarum, ac piget tam pudendam Ignorantiam refellere. Quis mortalium, qui humano more loqui voluit, unquam dixit, *Personam Christi esse synecdochicè passam?* Nemo Nostrum eo usque deliravit, ut *synecdochen* dixerit rebus ipsis inesse. Poteras vel ex *Dieterici Rudimentis* didicisse, mi Anonyme, *Synecdochen Tropum esse*, qui sermonem afficiat, sed rebus nullam inferat mutationem. Quando dicitur, *carinas esse submersas*, aut *tecta igne consumpta*, quis ita demens fuerit ut indè concludat, *naves synecdochicè submersas, & domos synecdochicè combustas esse*, unde secundum tuam mirificentissimam Logisticiam tandem colligi deberet, *domum non esse propriè combustam*, neque *naves propriè submersas*, sed *tropicè* tantum? Omnes consentiunt, eruditionis & sapientiae sedem esse mentem, atque hanc in hominis cerebro arcem suam locasse, unde quando homo eruditus & sapiens dicitur, non hoc ipsi attribuitur vel pedum ratione, vel ventris, sed mentis, certè & spirituum in cerebro bene dispositorum. Quid igitur Anonymus responderet, si quis indè colligat, Ipsum *synecdochicè* adeoque tantum *Tropicè*, minimè verò propriè, sed impropiè & abusivè eruditum & sapientem vocari? Certè diceret sibi illudi.

XVI. Vocat *Gerhardus* §. 186. primum Communicationis Idiomatum genus *ἀντιδοσιον, τρέπον ἀντιδοσιον*; ex *Nazianzeno Epizeuxin nominum*; *Enallagen* ex *Damasceno*, qui & ipsam definit per Tropum. Quid impedit igitur, quòd minus secundum novam istam at bellulam ratiocinandi methodum dicamus, ex *Gerhardi* sententia Christum *Antidoticè*, & *Epizeudicè*, & *Enallacticè* esse passum, *Ἀντιδοσιον* autem & *Ἐπιζευξιν* & *Enallagen* vocari Tropos, adeoque Christum, ex *Gerhardi* doctrina, *Tropicè*, minimè vero propriè passum esse. Unde optimo *Gerhardo* periculum imminet, ne ab Anonymo nostro, fulmine Anti-Calviniano percutiatur, & in idem nobiscum præcipitetur stagnum. Nisi fortè, distinctio succurrat inter Tropos *Grammaticos* & *Rethoricos*; ut Catholicus sit & Orthodoxus, quicumque dixerit, *Personam Tropicè-Grammaticè Passam esse*; quicumque verò Christo mortem attribuerit *Rheticè-Tropicè*,
tan-

tanquam Hæreticus & Calvinista vel furcillis è cœlorum regno ejiciatur. O fecundum nugarum proventum! inducarne ut credam, Anonymum talia ferriò movisse? Quin potius dicam, fortè tyrunculis materiem voluisse præbere, ut regulas suas de fallaciis, quod in Logicorum scholis fieri solet, exerceant. Usque adeò putida sunt ac Theologo indigna, quæ profert!

XVII. Sed pergit & notat, *Calvinianis non ita personam dici passam, cum patitur humanitas: uti homo Philosophis patitur, cum pes patitur.* Quibus verbis vel nihil nobis adversum dicit, imò nihil quod ad rem faciat, vel se *Arrianorum* discipulum prodit. Scilicet vult, Personam Christi ita esse passam, uti homo patitur, quando pes patitur. Jam autem quando pes patitur, non corpus solum, sed & anima dolore intrinsecus afficitur, ita ut homo secundum utramque sui partem re ipsa patiat. Quod si igitur tota Christi persona passa sit, quemadmodum homo patitur, quando pes patitur, necesse est, ut Christus & secundum Deitatem & secundum Humanitatem passus fuerit. Hanc autem *Arrianorum* fuisse doctrinam, ex *Socrate* docet *Gerhardus*, *Exeg. de Persona Christi* §. 91. Unde *Athanasius* *Oratione quartâ contra Arrianos*, quemadmodum, inquit hoc proprium est ejus corpus, ita & corporis passiones ipsius passiones dicuntur, que tamen non pertingunt ad ipsius divinitatem.

XVIII. Subdit Anonymus, *Calvinianos dicere, Christum esse passum, eo modo, quo homo dicitur immaterialis, cujus anima est immaterialis.* Et in hac similitudine multum triumphat. Nam & eam paulò antè prolixâ fatis *περὲς* diduxit, atque indefolita sibi subtilitate confecit, *humanam naturam Christi dici non posse subiectum passionum sive Quod, sive Quo.* At verò Theologorum nostrorum nemo unquam comparisonem illam adhibuit, sed Anonymus eam novo sensu primus confinxit. Est namque ineptissima & à proposito penitus aliena. Non enim uti immaterialitas ad hominem, ita passio se se habet ad Personam. Quippe Immaterialitas positivè considerata est ipsa, ut in Scholis loquuntur, differentialis animæ essentia, eaque nuda & absoluta, citra ullam connotationem ad corpus tanquam ad partem, & citra ullam relationem unionis aut *συνωρίσεως* cum ipso. At verò passio est accidens Personæ Christi, quod (ut *Gerhardi* verbis iterum utamur) licet *πολύκιως καὶ ἀλλοιωτῶς* solam affecerit *humanam Naturam*, ita ut *Filius Dei* in *Natura divina* mutationem aut passionem nullam sustinuerit, multis tamen modis ad divinam quoque *Naturam* pertinet; quatenus scilicet caro assumpta, que cruciatus doloresque sustinuit, in ipsam *λόγος* *πρόσωπον* evecta unam cum *eo* constituit Personam: & quatenus *Deitas*, dum carnem sibi appropriavit, carnis quoque perpassiones sibi proprias fecit: & quatenus ignorantia illata *Carni* in ipsam redundabat *Divinitatem*, utpote que cum carne unam eandemque constituit personam: & quatenus *Deitas* in carnis passiones consensit, itidemque eas, cum à carne repellere possit, inferri tamen permisit: & quatenus patienter sustentavit carnem eamque & corroboravit & conservavit, ut tunc externos dolo-

dolores, tūm immensum peccatorum divinaeque irae pondus sustinere posset; & quatenus tandem infinitè pretiosas & coram Deo satisfactorias reddidit humane Naturae passiones. Quae omnia doctè & accuratè explicuit jam saepiùs nobis laudatus Gerhardus §. 197. Unde patescit, ingens discrimen esse inter animae immaterialitatem, quae de homine, & passionem quae de Christo dicitur. Id quod intelligere facile poterit Anonymus, ni doctrinae Lutheranae sit penitus ignarus. Meminerit enim distinctionis, quam in explicatione secundi generis Communicationi Idiomatum adhibere solent inter proprietates *absolutas* & *connotativas*, *operativas* & *non-operativas*, quarum, licet revera intrinsecus sint eadem, diversam tamen, & rectè quidem, rationem esse dicunt, neque concedunt eas ceu similes inter se comparari. Curigitur, quae ipse alibi agnoscit inter feminimè convenire, hic fingit ejusdem planè esse naturae atque conditionis?

XIX. Concludit porro Anonymus, *ex Calvinistarum sententia, merè naturalia circa mortem Christi usu venire*. Nimirum huic Homini tu nunquam satisfeceris, nisi nova monstra & opinionum prodigia loquaris, quibus & Univerſa rerum Natura confundatur, & Numinis ipsius evertatur Majestas. Quin legat, quae adduximus ex Gerhardo, & videat an prodigiosius aliquid & magis portentosum elicere indè possit, quàm ex doctrina, quam Nos proposuimus. Sin, conquiescat in communi sententia, neque veritatem propterea suspectam habeat, quòd monstrosas, quas concepit, Ideis non undiquaque respondet.

XX. Addit, *nihil ponderis accedere passioni Humanitatis à Persona Deo, cujus pars dicatur humana Natura: Tūm mihi denunciat se non concessurum, mortem Humanitatis esse infiniti valoris, eò quod sit Humanitatis mors, quae est pars Personae divinae*. Quae verba didicit à Præceptore suo Socino. Ille enim in *Prælectionibus* cap. 18. *Quod attinet ad vim aliquam passionum Christi, ea nullo pacto sat magna videtur esse posse, nisi sit infinita, ac proinde Christus aeternus, & ex se ipso Natura Deus statuatur, quod ipsum etsi Adversarii probarent, nihil tamen revera sententiam eorum juvaret, cum divina Natura perpeffiones aliquas experiri, easve ullà ratione participare non possit*. Et Idem Parte 3. cap. 4. *de Servatore; Nulla alià ratione potest vis ista infinita iis, quae passus est Christus, attribui, nisi quia aeternus Deus sit. At Christus non potuit quatenus aeternus Deus quidpiam pati. Ergò ad infinitam vim ejus perpeffionibus tribuendam nihil momenti habet, quod Christus aeternus sit Deus*. Quare ipsum ad Catholicos tum Lutheranos tum Reformatos Theologos remittimus, ex quibus discat, quid Socino ad talia fuerit responsum. Quod si tamen constiterit, Ipsum non tantum ex ignorantia & casu quodam, sed certâ professione Socinianum esse, tunc fortè & nos Eum publicis scriptis erudiemus. Interim audiat *Lutherum*, si qua ejus apud Ipsum restat auctoritas; *In Confess. majore de S. Cœna, & ex ea in Formula Concordiae in decl. art. Pers. Christi. Lib. de Concilio & Eccles. Et si una Christi pars, Deitas videlicet, non patiatur, tamen ea Persona quae Deus est patitur in altera sui parte, nimirum sua*

Humanitate. Revera enim Filius Dei pro nobis crucifixus est, hoc est, Persona, quæ Deus est. Ipsa enim Persona crucifixa est secundum Humanitatem. Quibus conjunge sequentia: Si in una lance appendantur peccata nostra, & ira Dei peccatis nostris debita, ac in altera lance ponatur tantum humanæ Naturæ mors aut homo tantum pro nobis passus, tunc altera lanx ad infernum usque nos deprimit. Quod si verò in adversa lance ponatur Dei passio, Dei mors, Dei sanguis, seu Deus pro nobis passus & mortuus, tunc gravior & ponderosior fiet lanx ista, quam omnia peccata nostra & Universa Dei ira. Quæ Lutheri loca Gerhardus cum aliis affert §. 195. Quibus si nondum satis edoctus fuerit Anonymus noster, moneo diligenter meditetur, quæ idem Gerhardus scripsit §. 325.

XXI. Immiscet porro negotio huic *Piscatorem*, & contendit, quod quemadmodum Ille denegaverit actionibus humanis Christi infinitam præstantiam, quantumvis elicita fuerint juxta Naturam, quæ pars sit Personæ Dei, ita Ipse quoque sit negaturus quicquam ponderis accedere passionibus, quas humana Natura toleravit, licet Natura, quæ patitur, sit Christi Dei Natura. Ex quibus video, hunc Hominem non acquieturum, donec contra *Lutherum* & *Concordiæ Formulam* statuerimus, Deitatem esse in se passam. Sed vereor, ut vel ista largitate animo ipsius satisfaciamus, & ne ex *Socino* regerat, ne ipsas quidem Divinitatis passiones, si quæ essent, immensi pretii fore, eò quòd non omnes Dei actiones infinitam habeant præstantiam. Part. 3. c. 4. de *Servat.* Certè enim eodem modò ab actionibus ad passiones argumentatur.

XXII. Enim verò festiva admodum est illa societas, quam cum *Piscatore* constituit. Nimirum, quia putat, ab Illo negari inæstimabile activæ obedientiæ pretium, idcirco profitetur se mihi quoque negaturum infinitam passivæ, obedientiæ dignitatem. Atque ita, si & Ille & Hic, Illius exemplo, mihi omnia negant,

----- *Quid misero mihi denique restet?*

Idem est lusus, ac si *Sempronius* duos habeat debitores *Mævium* & *Titium*: *Mævius* sit malum nomen, & *Sempronio* nihil exsolvat. Tum compelletur *Titius*, at Hic confidenter dicat, *tam tibi debiti solutionem negabo quàm Mævius*. Scilicet his dictis miser *Sempronius* illicò omni jure excidet, *Mævius* verò ab alieno ære immunis abibit ac liber. Ita etiam *Piscator* mihi negaverit, quod non debebat negasse; confestim Anonymus noster, inaudito hæctenus titulo, jus inde acquisivit, mihi etiam denegandi quicquid, lubitum fuerit. Verùm, heus bone Vir, nimium quantum est discrimen *Te* inter & *Piscatorem*.

XXIII. Quod ut intelligas repete *Stablium* & in memoriam revoca actionum & perpeffionum, quæ talium & formaliter consideratarum, diversissimam esse rationem. His infinitum potest inesse pretium, quod tamen illis non statim attribuitur, propterea quòd earum æstimatio non à principio petitur, unde proveniunt, sed à *subiecto* cui insunt, Tyrunculis autem notum est, actio-
nes

nes transeuntes non in principio sed à principio esse, esse verò in termino recipiente. Hinc fit, quòd ne ipsæ quidem in tempore existentes & transeuntes Dei actiones infinitæ dignitatis esse censentur, unde & varios æstimationis admittunt gradus, pro termini sive vilitate sive excellentia. Sic quamvis hominis & culicis creatio ab eadem Dei omnipotentia proficiscatur, illa tamen hâc longè æstimatur nobilior. Atque ex eodem argumento *immanentes* Dei actiones, cum primis illæ, quæ, quas *ad intra* vocant, infinitæ pariter censentur esse præstantiæ, utpote quæ sunt in ipso Deo, imò Ipse Deus. Longè igitur alia est ratio actionum, alia passionum Christi. Illa à Christo proficiscebantur, hæ recipiebantur in Christo, inque eo, ceu subiecto suo, inhærebant. Quare his inesse poterat pretium, quod non statim illis erat attribuendum. Si Christus bovem aliquem mactasset ceu victimam, mactatio utique ista fuisset actio Christi, sed quæ non tanti æstimaretur. Jam dic, Christum ipsum mactatum esse ut victimam. Nunquid sentis, longè ab illa diversam esse mactationis hujus rationem? Quapropter etiamsi *Piscator* activæ obedientiæ infinitum pretium denegaret, idem tamen & passivæ derogandæ tibi jus quæsitum esse non video.

XXIV. Verùm quid multum de *Piscatore*? Noluit Ille activam Christi obedientiam nobis imputari. Id verò nihil ad rem. Non desit inde infinitam habere præstantiam. Possunt enim immensæ divitiæ esse, quæ nobis tamen non conceduntur. Sic, etiamsi Deus sanctitatem Christi nobis non donasset, nihilominus tamen illa foret inæstimabilis dignitatis. Quid igitur, tam aliena huc cogit Anonymus: & quæ nec cælum nec terram tangunt?

XXV. A *Piscatore* temulenti instar delabitur ad *Calvinum*, qui cum *Wendelino* & *Massonio* fortuitò Ipsi occurrit. Postulat, quòd asserta ab his *Theologis* præstet acceptatio Dei circa finitam Christi Humanitatis mortem, id præstare etiam illam posse circa mortem meri hominis, amici scilicet *Elie*. Primum rogo, an ego unquam dixerim, mortem Christi esse finiti tantum valoris? ecquid igitur mihi ista objicit? Deinde quæro, an illa communis sit Theologorum nostrorum sententia, nunquid Ecclesiæ nostræ uno consensu eam rejiciant, & damnent, & contra Socinianos acerrimè defendant. Scilicet *Calvinus* eam fovit, fovit *Wendelinus*, *Massonius*. Ubinam obsecro? locum affer, nota librum, caput, paginam, quâ blasphemia isthæc sententia contineatur, *Christi mortem finiti tantum esse pretii*. Nimirum illi dixerunt, *mortem Christi finitam esse*. Huic sanè & Ego assentior & Tu quoque, nisi Christum vel nunquam mortuum, vel æternâ morte obrutum statuas. Nimirum finitam dicimus, quia non æterna fuit, sed infiniti valoris, quia non nudi Hominis fuit, sed Hominis-Dei. Atque in eo nobiscum sentiunt quotquot hæctenus in rerum natura extiterunt *Lutherani*. Quòd si isthæc mea responsio tibi nondum satisfecerit, ipsum adi *Wendelinum*, sed ne asperius te excipiat, cave. Solennem Ejus contestationem invenies *Exercitatione* 44. ubi elatâ voce clamat; *Expresse dico, divinam Sacer-*

dotis Naturam infinitum pondus addidisse lytro. Massonius quoque adeò dilucidè & fusè calumniam istam diluit, ut non credam, Anonymum facturum fuisse ipsius mentionem, si locum inspexisset. De *Calvino* quod mussat, respicit fortè ad ea, quæ *libro 2 Institut. c. 17. sect. I.* de Merito Christi leguntur, & quæ jam sexcenties sunt vindicata, ut tædeat cramben istam reponere. De quo & celeberrimum *Zwingerum* consulere poterit in *Theatro sapientie cælestis h. l.*

XXVI. Jam ex falso, quod Anonymus assumsit, concludit *Deum posse idem præstare circa mortem meri hominis, amici scilicet Elie, quod præstat acceptatio ejus circa finitam Christi humanitatis mortem.* Isthoc verò nihil ad nos. Neque enim *Calvinus* neque quisquam alius Nostrum talem statuit acceptationem, qua internum passionis Christi meritum extenuetur, aut demeritis nostris ex infinito quod nobis acquiritur bono vel commensuratum vel præstantius etiam atque uberius esse negetur. Concedimus enim & contra *Nestorianos* hoc ipsum urgemus, Unionis personalis mysterium ad salutem necessarium esse, quo infinitum *ἀγάπης* beneficio ejus exsolvi possit.

XXVII. Tandem novas adducit copias, ac magnos sibi indè triumphos somniat. Nam & *Herbornenses* simul omnes, & me uno ictu se prostraturum esse confidit. Multum certè satagentem video, sed agentem nihil. Dixerant *Herbornenses; non totam Christi Personam mortuam esse.* Ego verba ista ita exposui, ut negent utramque Personæ Naturam esse demortuam. Falsi arguit meam explanationem, & operosè probat dictionem hanc, *tota Persona*, nonnunquam significare simpliciter concretum. Poterat certè huic labori superfedere, neque opus erat probare adversus me id, quod ego disertis verbis concefferam. Sed demonstrandum erat Anonymo, per *totam Personam* nunquam intelligi *totum Personæ*, sive utramque Personæ Naturam. Hoc ubi confecerit, tum demum poterit jactare, & quòd *Herbornenses* erraverint, & quòd malè ipsorum excusaverim errorem. Jam quis, nisi somno plenus, neget in utroque significato dictionem istam quàm sapissimè usurpari. Quippe ipse Anonymus per vocabulum *Personæ* in primo genere communicationis Idiomatum intelligit concretum simpliciter, non utramque Naturam, at verò in tertio genere designat totum Personæ, sive quicquid Personæ in est. Sic quando dicimus, *Christum esse mortuum*, non quicquid Christi est, intelligimus. Qui verò dicit, *Christum esse Redemptorem*, Orthodoxo sensu, Redemptionis opus attribuit Christo *secundum sui totum*, sive secundum utramque Naturam. Ita locutio ista, *Homo moritur*, duplicem admittit explanationem, prout vox *Hominis* dupliciter sumitur, vel ad denotandum totum concretum, vel ad significandum concreti totum, hoc est, utramque concreti partem. Prior explicatio est Catholicæ Ecclesiæ; posterior Atheorum, & quodammodo Socinianorum. Ut hujus ipsius orationis exemplo, quo utitur, imprudens refutetur, seque adeò Ipsum jugulet. Ita planè à janua aberravit Anonymus. Atque ista quidem ad primam quæstionem dixisse sufficiat.

XXVIII. ALTERAM QUÆSTIONEM INSTITUIT, AN CALVINI DISCIPULI CONSENTIANT CUM LUTHERANIS IN SECUNDO COMMUNICATIONIS IDIOMATUM GENERE? Negatille; nos quomodo affirmari possit, prolixius docueramus. Negationis probationem instituit ex eo, quòd Lutherani credant, *humanam Naturam esse IN SE omnipotentem*, id quod non solùm à me non admittatur, verùm etiam tanquam gravissimus error constanter improbetur. Unde manifestum, Lutheranos inter & Reformatos nullam in hoc capite esse consensionem.

XXIX. At Primò Anonymus nimium quantum sibi sumit, quando sententiam suam Lutheranis omnibus ascribit, cum tamen & incomparabilis inter Eos Theologus *Calixtus*, & qui Hunc sequuntur, humanam Naturam in se omnipotentem esse disertè negent; negent inquam, (*de Toler.*) *divinas proprietates de humanitate enunciandas esse, quasi ipsi in se & formaliter insint. Unde concludunt, cum formaliter sive secundùm intrinsecam denominationem enunciari nequeant, secundùm extrinsecam tantùm esse enunciandas.* Et accuratissimus *Molanus thes. 41.* demonstrat, *humanam Naturam Christi intrinsecâ denominatione haud quaquam esse omnipotentem*, ac postea latius deducit, *non alii denominationi hic locum esse, præterquam extrinsecæ.* Non autem crediderim, Calixtum, & Eos, qui Ipsum sequuntur, adeò severè atque immisericorditer ab Anonymo habitum iri, ut ex Lutheri communionem eiiciantur. Non igitur simpliciter negare debebat consensum nostrum cum quibuscunque Lutheranis.

XXX. Sed fac *Calixtum* ἀποσυνάγωγον, nosque proinde ad Alios conferamus. Nimirum disceptatur, *an Christi caro IN SE omnipotens dici possit.* Verùm ante omnia dispiciendum, an dictio ista IN SE varios admittat sensus, atque adeò ratio hæc, *Caro in se est omnipotens*, ambigua, & pro explicationis varietate vel vera existat vel falsa. Id quod si ita se haberet, proclive admodum esset, ut, licèt re ipsa consentiremus, inani tamen conflictaremur λογισμασίν. Jam autem nuper monuimus, multis modis aliquid dici posse *extra* aliud, ibique addidimus, totidem modis sumi vocabulum *intra*. Atque Ipse nunquam nobis fatis laudatus *Gerhardus §. 255.* in hoc eodem argumento docet, dictionem IN SE diversissimis modis usurpari, ejusque recenset decem significationes, in quibus omnibus negat, verum esse, quòd caro sit in se omnipotens. Quâ igitur fronte & quonam jure dissensum hic statuit Anonymus, propterea quòd eam Propositionem ego non admiserim, quam ipse *Gerhardus* decem modis falsam esse pronunciat?

XXXI. Dicet fortè, me simpliciter & absolutè negasse, quòd Oratio ista *ullo* sensu vera sit, in quo sanè à Gerardo dissiderem, qui eam *aliquo* sensu probavit. Enimvero accidere posset, ut in verborum explicatione ab Eo dissentirem, istasque voces ad rem, quam uterque credit, exprimendam existimarem minùs esse idoneas. Dissensio proinde de vocibus esset, & terminis,

ut loquuntur, Scholafticis, qualem ego folam inter nos intercedere & nuper aded probavi & firmiter etiamnum credo.

XXXII. Verùm ne hoc quidem dixi, **Nullo** fenfu Propositionem iftam, *caro in fe eft omnipotens*, admitti poffe, quamvis ingenuè profitear, eam mihi ob tot ambiguitates, quibus involvitur, obfcuram, incommodam, adeoque periculofam videri. Negavit Eirenophilus eum (pax fit auribus) **INSEI-TATIS** modum, qui per effectivam communicationem exiftat, quâ vel omnipotentia nova fuerit producta, vel quâ ipfa Dei omnipotentia in carnem ita tranfiverit, ut in ea tanquam in fubjecto inhæreat, fi modò cogitari poffit eam in hære. Id quod ex iis, quæ præcedunt, & quæ fequuntur, verbis manifefte patet. Nam & *Philalethe*s protinus refpondet, *Gerbardum* non duas ftatuere omnipotentias, & paulò pòft *Eirenophilus* affirmat, *Zanchium* aftruere omnipotentiam carni Chrifti, non *subjectivè* quidem, *inhæfivè*, *privivum*, *essentialiter*, fed *personaliter*, *δὲ ἄριστος*, *in, per & propter unionem*, quia divina Natura in Carne & per Carnem tanquam inftrumentum hypoftaticè conjunctum proprietates fuas exerit. Quòd verò non negem, ullo fenfu Carnem in fe omnipotentem dici poffe, abundè liquet, tum ex iis, quæ modò recensui, tum ex iis, quæ à Differtationis meæ pag. 83. ad paginam ufque 101. copiofè difputavi. Ex quibus pauca repetamus, ut pateat, quàm iniquè mecum agat Adverfarius. Ita igitur *Eirenophilus* Reformatus ad *Philaleten*; *Principio in memoriam tibi revoca qua de Unione diximus; illam cum arctiffimam & in hypoftafeos communicatione fitam profiteamur, neceffe eft utique Deitatis ad Humanitatem ἡνωτικῶν intimam & οὐκ ἐπιπέρας credamus exiftere. Quando igitur Deitas Chrifti eft Deitas incarnata, ita ut ejus plenitudo in carne habitet, quis neget idiomata divina donata effe carni, non quidem per transfufionem, non per excidentiam ex Deitate, non per multiplicationem ac novorum idiomatum procreationem, fed formaliter in & per unionem hypoftaticam? Ut anima, quando corpori unitur, in corpus non transfundit proprietates fuas, nec corpus in fe devenit fpirituale, nec ex fe vivit, fed vivit formaliter in & per unionem cum anima, ita Divina natura Chrifti Humana arctiffimè unita in eam non effundit idiomata fuâ, iis tamen eam intimè permeat, aded ut caro poffidendo Deitatem, in Deitate & Omnipotentiam poffideat & Omnifcientiam & Omniprefentiam & adorationis ἀξιωμα.* Quibus verbis ritè confideratis conteftor omnium confcientiam, quotquot pacem & veritatem amant, nunquid ex his ipsis liquidiffimè conftet de integro inter nos confenfu, tantum abeft ut ad fovendam difcordiam argumentum indè aliquod peti poffit?

XXXIII. Everfo igitur negationis, quod Anonymus pofuit, fundamento, cætera cuncta quæ fuperftruxit, fimul corruunt, ut in iis demolientis non opus fit nos particulatim occupari. Tria tamen funt, quæ ex tranfverfo adftruxit, quæque aded separatim ac figillatim funt convellenda.

XXXIV. Primùm miratur, *me immemorem effe principii domeftici, quo non*

non modò non per consequentias deductas formandus est status controversiæ, sed ne quidem consequens error Adversario imputandus, tanquam noxius, nisi agnoscat. Ego verò Ipsum hic talia mirari miror quàm vehementissimè, nec mirari satis possum, quòd Ipse oblitus sit, vel fortè nunquam didicerit, commune nobis omnibus principium, quòd scilicet ea, quæ per consequentias *immediatas & evidentes* ex doctrina aliqua deducuntur, non solùm doctrinam illam expli- cent, evertant vel stabiliant, sed illis etiam, qui doctrinæ alicui astipulantur, sint attribuenda, quæcunque *immediatè & evidenter* ab ea fluunt

XXXV. Alterum est, quòd celeberrimum, & tum de Ecclesia, tum de- univèrsa Republica literaria meritissimum *Hottingerum*, Virum & publici quondam muneris ratione, & familiari necessitudine mihi, dum viveret, con- junctissimum in verècundè coarguit, ut *interpolatorem non sanæ verborum for- mule*, ipsique attribuit, quòd *tres* statuerit *essentias Divinas*, quarum *alia sit Pa- tris, Filii alia, alia Spiritus Sancti*. Ego verò neque ex Ipsius ore unquam audi- vi, neque in ullo Ipsius scripto deprehendi assertum trinæ Essentiæ errorem. Quin contrarium, ubicunque de Deo loquitur, apertè & constanter docuit, ut mirer Anonymi, ne quid gravius dicam, irreverentiam adversus Virum, quem partium omnium Theologi ob raram diffusissimamque eruditionem summopere coluerunt. Neque excogitare possum, unde nata sit ista calum- nia, nisi fortè ex eo, quòd *Hottingerus* alicubi *de tribus Elobim Zanchium* excusat de incommoda inscriptione, quam suis de sacrosancta Trinitate Commenta- tionibus indiderat. Ubi tantum abest, ut tres statuatur essentias, ut contrà *Zan- chii* locutionem eo solo nomine judicet incommodam, quòd erroris hujus oc- casionem præbere possit.

XXXVI. Tandem, uno Collegarum frustra sollicitato, ad alterum se convertit, ipsumque in prælium citat. Nimirum in doctissimo Biblicarum Vindiciarum opere ad *caput Matthæi IX. v. 6.* scripserat *Cl. Spanhemius*, non rectè ex eo probari judiciariam potestatem, aliavè divinæ Naturæ propria com- petere humanæ Naturæ, vel Filio Hominis, quâ tali *reduplicative*, idque plu- ribus ibidem exequitur. Anonymus dicit, ista cum nostris pugnare, ut scilicet persuadeat, non solùm inter Nos & Lutheranos, sed & inter ipsos Reformatae Ecclesiæ Doctores in hoc capite discordiam intercedere. At verò à scopo suo immane quantum aberrat. Primùm enim hîc non disquiritur, an hunc vel il- lum scripturarum locum variè expli-cent vel applicent Theologi, sed an in ipso dogmate diffideant, id quod Adversarius noster jam debebat didicisse ex Me- ditationis meæ pag. 52. ubi disertè hoc ipsum monui; *Cogita*, inquit *Eireno- philus, questionem hîc non institui de hujus vel illius loci sacræ scripturæ genuina ex- plicatione & apta allegatione; sapissime enim in explicando genuino scripturæ sensu Theologi dissident, licet in Orthodoxia conveniant. Sufficiet igitur monstrasse con- sensum in doctrina.* At verò *Cl. Spanhemius* loco isto materiem hanc ipsam sibi

prolixè explicandam non sumferat, sed tantùm hoc agebat, ut genuinùm contextûs sensum vindicaret, unde secundum Communicationis Idiomatum genus ex eo demonstrari posse negavit. *Nos*, inquit, *quicquid de Protestantibus nobiscum Theologis sentiamus Christianè & moderatè, ut tamen sententiæ isti subscribamus, non imperat ratio argumenti.* Neque nos locum istum aliter explicamus, nec minùs tamen consensum in doctrina Lutheranos inter & Nos defendimus. Imò quantum ad ipsam commatis illius explicationem, Cl. *Spanhemio* Anonymus noster non accuratè contradicit. Concludit enim, Idiomatica divina attribui Filio Hominis quà tali *specificativè*: Cl. *Spanhemius* verò rectissime negat, competere ea Filio Hominis quà tali *reduplicativè* eo, quo Ipsemet exponit significatu: Illius autem assertio Hujus negationi tantùm abest ut sit contraria, ut eam potiùs confirmet.

XXXVII. Jam *TERTIAM* Quæstionem examinemus. Hanc ita proponit Anonymus, *An quod fidei est præsens (de se, quia fidei est præsens) realiter sit præsens, adeoque & corpus Christi in V.T. Patriarchis fuerit realiter præsens?* Negat contra Calvini discipulos, suæque negationis probationem ex meis ipsiusmet verbis conatur extruere ut, quemadmodum hætenus me cum aliis commisit, jam me mihi ipsi opponat. Quo successu id molitur, videamus, & trifidulum Ipsius excutiamus syllogismum:

Quod in *V.T.* realiter non existit, id in *V.T.* realiter non fuit præsens;
Atqui corpus Christi &c. E.

Minorem probat ex meis verbis pag. *Mediationis 48.* Dicitur aliquid extra illud poni à quo producitur, non quòd antea ibi reapse existerit, sed quòd, cum ab eo potuerit antea produci, jam actu productum fuerit; ita enim creata existentiæ definitur quòd sit rei extra suas causas positio. Nimirum corpus Christi in *V.T.* in causis suis adhuc latuit.

Majoris Propositionis nexum ex aliis meis verbis probat defumtis ex pag. 49. ubi dixi; *in universum res non alio modo præsentem esse posse, quàm existunt, cum præsentia sequatur essentiã, ut sequela sunt relata absolutorum.*

Scilicet ita meis ipsius captus sum laqueis, neque via datur elabendi. Sed video & alia mea verba, quæ adduxit. *Est præsentia objectiva respectu facultatum sive sensitivarum sive moralium aut spiritualium; sic non solum ea QUORUM SUBSTANTIA A NOBIS ABEST, verùm & ea, quæ omninò nullibi existunt, nostræ imaginationi, nostro intellectui, nostræ voluntati præsentia sunt.* Credo fanè ista laudasse, ut subdat mihi quid respondeam. Jam enim ex iis subit distinguere inter præsentiam realem ex parte objecti, & inter præsentiam realem à parte subjecti sive facultatis rem quamvis absentem, imò ne quidem existentem sibi repræsentantis. In *V.T.* Christi corpus certè non existit realiter, unde nec eatenus poterat à parte sui realiter esse præsens alii alicui corpori. Sed *Abrahami* aliorumque fidelium Intellectus & Voluntas realiter existebant sibi-que

que vera fide ardentique amore Christum Redemptorem suum præsentem stantiebant & amplexabantur. Si autem realiter & actu Christum sibi sistebant, eatenus certè Christus realiter & actu ipsis erat præsens. Est enim contradictorium, aliquid præsens sibi, neque tamen præsens esse. Dum Christum autem amplexabantur, non amplexabantur simpliciter Deum, sed Deum Redemptorem, adeoque *θεάνθρωπον*, humanam proinde Naturam, ergo & corpus.

XXXVIII. Fateor quidem, me ista non disserere ad quæstionem, prout est ab Anonymo proposita. Isto enim modo adeo est inepta, ut si perspicuâ oratione explicaretur, certè vel puerum suppuderet ad eam respondere, adeo expers est omnis bonæ mentis. Quid enim puerilius, quàm quærere, an illud, quod planè non existit, sit à parte sui revera & physicè præsens? Et quid iterum frigidius quàm disputare, an quod cogitatione & fide nostrâ apprehenditur, apprehendatur reali & solidâ actione? Certè, qui talia disputant, de iis, quæ loquuntur, intelligendis parum videntur esse solliciti, mentemque ipsorum oportet materiæ tam profundè immersam esse, ut nihil existiment vel reale esse vel sibi præsens, nisi quod corporeum sit atque materiatum.

XXXIX. Quæ subjicit ad me nihil pertinent. Dei beneficio Ecclesiæ superest incolumis Cl. Curtius. Hunc non impunè laceffiverit Anonymus, modò dignus videatur, cum quo justo cernatur prælio.

XL. Tandem deventum est ad QUARTAM Quæstionem, *An Calvini discipuli, Extra essentielle præcisè intelligant, cum dicunt λόγον esse Extra Carnem?* Idque negat contra Fabritium. Nimirum hic iterum persuadere conatur, me vel Reformationum Theologorum sententiam non intelligere, vel ab ea descivisse. Suam igitur negationem contendit probare isthoc syllogismo.

Illud Extra, tribuunt Calvini discipuli *λόγω* ad Carnem, quod non competit animæ ad corpus.

Sed Extra essentielle competit animæ ad corpus.

E. πὸ Extra λόγου ratione Carnis non est præcisè πὸ Extra essentielle. Equidem hæctenus existimabam Anonymum novam nobis parturire Theologiam, jam verò & de novo Organo Logices nobis gratulamur. Hic enim nobis invenit quintam syllogismorum figuram, juxta quam *minus extremum* in *majore Propositione* reperiatur. Sed faciliè hominem excusaverim, eò quòd necessitas non admittat legem, & desperatio, non minùs quàm paupertas mater sit inventionum. Exclusus enim à quatuor figuris, quis vitio vertat, quòd quintam invenerit? Poterat quidem argumentationem suam secundæ figuræ includere isto modo;

Omne Extra essentielle est specificè tale, quale est Extra animæ ratione corporis,

Atqui Extra λόγου ratione Carnis non est specificè tale, quale est extra animæ ratione corporis,

E. *Extrà λόγος* ratione Carnis non est *Extrà Essentiale*.

Patescit ilico falsitas *Majoris Propositionis*, quam Ipse *Minorem* dicit, & quam, licet me testem adducat, ego ne per somnium quidem unquam veram esse credidi, tantum abest, ut proposuerim.

XL I. Verum, ut rem exactius proponamus ex universalibus deductam principiis, ante omnia statuendum, secluso Trinitatis mysterio nihil existere in rerum *Natura*, cujus essentia non sit *extra* essentiam alterius, quantumvis arctè sint cæteroquin sibi invicem innexa. Essentiæ autem rerum nihil differunt ab essentialium proprietatum complexione, quas proinde diversas esse oportet, prout ipsæ essentiæ diversæ sunt ac vice versâ. Quare pro diversitate terminorum, qui secum invicem conferuntur, τὸ *Extrà essentiale* etiam diversimodè se habet. Essentia animæ & essentia corporis sunt utraque finitæ; essentia vero Dei quæ talis & essentia Hominis, quæ talis, illa quidem infinita est, hæc finita, adeoque una essentia alteram ita excludit, ut cœquationem non admittant. Ergo verum est, quod, ut animæ essentia est *extra* corporis essentiam, ita & Divinitatis essentia sit *extra* essentiam Carnis, neque tamen verum est, quod, ut illæ finitæ essentiæ sibi adæquantur, ita & hæ duæ, quarum altera finita est, altera infinita, sibi invicem existant pares. Dicas, imò ex hoc ipso consequi, per τὸ *extra λόγος* non præcisè τὸ *extra essentiale*, sed ulterius quid à Calvinianis intelligi. Verum è contrario, cum hinc quidem finitudo sit de essentia corporis, illinc verò immensitas sit ipsissima Deitas, (à qua & Omnipræsentia non nisi per externam superadditam connotationem distinguitur) necesse est, ut concludam, non alium hinc statui modum *extraneitatis λόγος* *extra* carnem, quem per se infert utriusque Naturæ essentia, quarum altera ex se immensa est, altera limitata atque finita. Atque ita ad hanc etiam quæstionem abunde est responsum.

XL II. Hæc atque alia multa, quæ memoriâ conservare non potui, copiosè mihi demonstravit; ac tandem, morem igitur tibi gessi, inquit, mi Humberte, atque indicavi, ex quibus principiis Anonymus confutari possit, si animus esset melioribus occupationibus destinatum tempus rixando consumere. Tibi quidem fortè non inutile fuerit, quæ observavimus, diligentius meditari. Atque his dictis è Musèo me dimisit. Ego verò per in-tempestam noctem, quæcunque recens memoria suggerebat, præter ea quæ in tabellas ex loquentis ore & librorum inspectione notaveram, in chartam conieci, ac tecum, Amicorum suavissime, communicanda existimavi, præsertim cum tu hujus Disquisitionis occasionem præbueris, multumque optaveris, ut Adversarii quæstionibus aliquid reponatur. Tu interim vale,

tum causæ tum famæ Præceptoris nostri securus, qui & multam tibi sa-

lutem impertiar jussit. Heidelbergâ Calendis Sextilibus, 1700

IOG LXVII.

JANI.